

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m

- Personalschriften -
 = 54 Nummern, 1628.-1642. J. =

51. Albinus, M. Loo.	44. Heinrich, Sam.	35. Puchlirsch, Jos.
32. 33. 34. } Balduin, Friedr.	46. Holtzmüller, Joh.	41. Quellmaltz, Loo.
42. Bamberg, Loo. d. J.	29. Horlemann, Andr.	8. Röber, Sabina
26. 27. } Barthmann, Joh.	49. Hülsemann, Johann	45. Schindler-Berg
4. 5. } Biener, Christ.	50. Hschner, Paul	43. Sperling, Paul
40. Braun, Valmt.	7. Johann Georg, Kerlück	18. Ströer, Matth.
20. Coler, Johann	21. Kirsten, Mart.	1. Treutzsch, Chris. u. a.
22. Cramer, Theod.	17. Liborius, Joham.	11. Ull, Johannes
24. Crusius, A.	16. Macht, Michael	12. ders.
48. Ehrenhold	3. Neefe, Joh. Cusp.	25. Wagner, Gottf.
23. Emmerling, Sam.	13. Nigrinus, Wilt.	6. Weber, Paul
51. 52. 53. } Ferdinand III	14. ders.	31. Wächinger, Joh.
10. Gärtner, Paul	15. ders.	39. Weiskopff, Joh.
47. Gotterrichtungen, nach Ovidischer Art	36. Plattner, Georg	9. Weller, Jakob
2. Graul, Daniel	37. Polonius, Raph.	19. ders.
28. Graul, Daniel	38. ders.	30. ders.

VOTIVI APPLAUSUS
N U P T I I S

Viri Clarissimi, Excellentissimi Ex-
perientissimiq̃

Dni. F R I D E R I C I
B A L D V I N I,

MED. VTR. D. & Physici Torgensis or-
dinarii merentissimi;

&

Pudicissimæ Lectissimæq̃
Virginis

B L A N D I N A E,

Amplissimi, Doctissimi Honoratissimiq̃ V I R I
D A M M U L L E R I à B E R N E C K, Sax. Elect.
Quæstoris Augustiburg. FILIÆ:

Oblati ab

Amicis & Fautoribus.

Ipso Nuptiarum die X X. VIIbr.

A N N O

Recuperatæ Salutis Humanæ


cl. lcc. XLI.




T O R G Æ,

TYPIS MINTZELIANIS

Exscripsit JOHANNES SIMONIS,





PRæstantis virtute viri tibi filia, Sponse,
 Traditur, eximiis condecorata bonis.
 Omina nominibus si verè, ut dicitur, insunt,
 Quid de BLANDINÆ moribus est dubium?
 Blanda tibi BLANDINA venit, quæ prædita blandis
 Moribus, & veræ est religionis amans.
 Ut BLANDINA DEUM constanti pectore quondam,
 Confessa est: Dominum sic tua Sponsa timer.
 Sed dulces animæ vestro confidite CHRISTO,
 Pectora qui sacro flamine vestra regat.
 Sit Dominus vestræ dulcissima regula vitæ,
 Connectat firmâ pectora vestra fide.
 Sicut CHRISTUS amat Sponsam, sic dilige Spōsam,
 Sponse, tuâ: Sponsum sic quoq; , Sponsa, tuū.

Jacobus Martini, SS. Th.D. Profefs. primar. Senior,
 Templi cathedralis Præpositus, & Consisto-
 rii Ecclesiastici assessor.

TOt qui DOCTORES genuit BALDVINVS, hono-
 rum,
 Omne tulit punctum: Te BALTHASAR, urbe
 CYCNEÂ
 Jam positus mystes, & Te CHRISTIANE,
 beatos
 Nunc inter genios, tùm Te FRIDERICE, Ma-
 chaon
 ARGELIÆ, tùm Te Sophien docture JOHANNES
 Ni DEUS æthereas citò promovisset ad arces.

D. FRID.
 BALD. Sup.
 Witeb. ge-
 nuit filios,
 quatuor Fa-
 cultatum,
 Doctores:
 BALTHAS.
 Theol.
 CHRISTIA.
 Juris.
 FRIDERIC.
 Medic.
 JOHANNEM
 Philos.

Tantum tantus Pater, ordine digno equestri,
Ac opibus multis; à quo Respublica magnis
Aucta viris, Patriæ qui sunt decora atq; columnæ.
Conspicit ergo suos summo BALDVINVS olym-
Expectans reliquos in eadem sede locandos. (po,
Nunc dum celsa tibi nubet FRIDERICE virago,
Tu quoq; BALDVINI genus ô FELICITER auge!
Ut sint in terris laudes & gaudia cælo.

Affini exoptatissimo LMq; F.

PAULUS RÖBERUS, D. Profess.
Pastor & Superint. Witteb.

Inter prolixos Tibi commentaria versus
Promere, res facilis, credo, laboris erat.
Seu BALDUINE, genus: seu Magni gesta PARENTIS
accerfam, Iliaco carmine digna legi.
In Tua NUNC SPONSI veniendum est vota: litandū
Est potius tædis, ut benè cedat opus.
Vota quot absentem suspiravere puellam:
Tot saturent fatum Lustra quieta thorum.
Nil liceat fumo, nihil in præsepia fuco:
Muniat excubiis Vos Sacrosancta Trias.

Clarissimo Dn. Sponso Affini suo ceu filio
perdilecto gratulab.

JOH. HÜLSEMANNUS, D.

Qui curas alios docto medicamine morbos,
Et medicâ ægrotos arte levare potes,
Ipsemet ægrotans quæris BALDUINE medelas,
Et fidi medici poscis anhelus opem.

Nunc

Nunc Te ipsum cura Medice : at medicamina Te
ægrum.

Sponsum non curant, succus & herba nihil.
Nil agit artis opus medicæ: nam pocula cuncta
Non curat, tota & pharmaca spernit Amor.
Ergo opus est aliâ medicinâ: causa doloris
Quæ fuit, hunc morbum tollere Sponsa potest.
Sponsa petita veni, thalami Te pacta sacрати
Ægroti ut Sponsi sis medicina, vocant.
Sponse tuæ Sponsæ medicus sis: Nuptus uterque
Tempore sic quovis certa medela fiet.
Vivatis sano felices corpore Nupti
Prole thorus vigeat, prosperitate domus.
Faxit Jova potens, vos ut concordia perpes,
Pax & firmus amor sospitet unanimes.

Sic gratul.

WOLFG. ERNEST. TINCELIUS, SS. Th. D.
Past. & Superint. Torgens.

VOTUM NÛPTIALE.

Nomen & omen habes Pacis; sit pace beatus
SPONSE, tu⁹ thalam⁹, pax sit in orbe, precor.

Phil. Adam, D.

Ludibrium Martis Germania, publica pectus
Excruciant mala, nec priva bona id relevât.
Sed superant Sponsi & Sponsæ voces, superentq;
Perpetuò, calido mens pia corde vovet.
Sponse mares animos sumas, mala tædia vitæ
Et dulci & stabili conjugio superes.

M. Johan. Sperling / Phys.
Prof. P. Witeb.



Magni Balduini proles, Fridricus in arce
Augusti nymphæ captus amore fuit.
Sylvestres Nymphas duris in montibus ortas
Urbanos mores num quis habere putat?
Illic sunt Satyri, Fauni Dryadesque puellæ,
Incola & est compos vix rationis homo.
Sic, quos Sudetos quondam dixere vetusti,
Tales doctorum penna fuisse refert.
Nunc hæc excoluit mores gens tota priores,
Et populo cuivis sunt pietate pares.
Illic esse jocos scimus, moresque pudicos,
Virtutumque chorum, Pieridumque domum.
Quodque caput populi est, illic candorque fidesque,
Vrbibus expulsa, fertur habere locum.
Ex hæc, Balduini proles laudanda triumphæ,
Gente tuum scandit casta puella thorum.

M. Michael Wendelerus, Practicæ Philos.
Prof. P. Witteb.

Qui ratione loci fuerant persæpè remoti,
Hos quoque jungit amor, prospiciëte Deo.
Sic venit ABRAMO, venit & sua SARA TOBIÆ,
Sic tibi, mi Doctor, Sponsa aliunde venit.
Qui vos conjunxit, faciat ne vincula amoris
Rumpant, nec thalamum turbet Erinnyes atrox.
Sis felix Medicus, voveo, felixque Maritus,
Vos beet innumera prosperitate DEUS.

Honoris & amoris ergo gratulab:

M. Augustus Fleischhauer, Eccl.
Witteb, Archid. Qui



Vi primus socij sancivit vincula lecti,
Donec adhuc omni labe careret Adam:
Is tibi conjugium faxit BALDVINE secundum,
Prosperet & thalami fœdera facta novis.
Crescat amor seros feliciter auctus in annos,
Summa pii voti sit brevis ista mei.

M. Christianus Meisner, Eccl. Torg.
Archidiac.



I mea fors ferret, non gaudia sacra gravarer,
SPONSE, thori præsens condecorare Tui.
Ast licet his absim, tamen adsum pectore, votis
Et precibus, DEVS ut prosperet ipse thorum,
Vivite felices SPONSI, par nobile! Vestri
Nil damni turbet gaudia conjugii!
Hæc precor ex animo, Cui vincla jugalia curæ,
Vota bonâ firmet prosperitate DEUS!
Plura quidem canerem, nisi desuetudine longâ
Pristina squalleret vena vigorque, Vale.

Congratulabundus scribebat

M. Fridericus Scultetus, Ecclesiæ
Torgensis Diaconus.

Hactenus hoc cunctis devoto more receptum,
Ut nuptis voveant optima quæque novis.
Quod si ita Sponse petis, nostri ut quoque portio voti
Acclamet tædis plurima fausta tuis:
Felices opto successus, resque secundas,
Sit tibi jucundus, sit tibi prosper Hymen,
Vivite concordēs: laudatum prole parentes
Innumera vestrum multiplicare genus.
Hæc voveo; faveat Numen foveatque Triunum,
Qui meliora potest, his meliora dabit.

Georgius Am Ende/ Eccles.
Torgensis Diaconus

Quid



Vid non cœcus Amor, Veneris lectissima proles,
Tentat, & illudit filium Apollineum?
Extremplò vulnus sub corde viraginis altum
Mirificè doctâ curatis, ecce, manu!
Nec verbis, herbis, emplastris utitur ullis,
(Quicquid anhelat Is, id convaluisse vides!)

Ipsè etenim, si vult medicatur cuspidis ictum
Ilicò: tanta tibi pharmaca nemo dabit.
Proptereà cantet, psallat chorus omnis honore,
Pastores d. cant: vivat Amor, Medicus!
Vivat Amor! vivat Cythereia mater Amoris!
Quis laudem curâ promeruisse neget!

h. e.

1.

Aesculapi hoch an Kunst
Und an Erfahrungheit /
Der du bey allen Göttern gunst
Erlangt vor langer Zeit /
Sieh nur was Amor doch begint /
Wie dich das lose Venus Kind
(Das doch blind ist) schimpfret!
Er hat ein Herzlein hier zur Stund
Das vor ganz tödelich ist verwundt
Durch seine Hand curiret.

2.

Und braucht der Schalck doch / wie mich daucht /
Kein Kraut noch Pülverlein;
Was Er nur mit dem Mund anhaucht /
Dem muß geholffen seyn;
Und kriegt ein krankes Herze dann
Gang neue Krafft von Stunden an / Daß

Daß sich die Schmerzen theilen/
So bald kan er in einem nun/
Wenn ers wil/ zu gefallen thun/
Die Liebes-Wunde heilen.

3.

Drumb singt der frommen Hirten Chor
Ihn billich dieses heut
Zu Ehren/ die ohn das zuvor
Zu singen seyn bereit:
O Amor leb / vnnd sey gepreist/
Vnd du auch / die du Mutter bist
Des lieben Kleinen Knaben/
Der so geschwinde heilen kan/
Vnd nimpe sich denn der Cur mehr an/
Soll Er auch Dancks mehr haben.

PROSOPOPEIA

Præclarissimi Dn. SPONSI, de SPONSA suâ.

Dulce est lac labris pendentis ab ubere matris,
Dulcis & est bibulo vis generosa meri:
Dulces sunt Oculi cernentes lumina Solis,
Dulceque Cecropiæ nobile munus apis:
Dulcis & est requies captantibus arboris umbram,
Dulcis, quem patulâ percipis aure, sonus:
Dulcior at mea SPONSA mihi BLANDINA, meum cor,
LACTE, MERO, VISU, MELLE, QUIETE, SONO!

PROSOPOPEIA SPONSÆ IECTISSIMÆ.

Grata est Lux puro, quam Cynthia æthere spargit,
Gratus, qui recreat corpora fessa, sopor:
Gratus jejuno poterit cibus esse palato,
Grataque, quam sano corpore, vestis, habes;
Pergratumque domi charos spectare parentes
Grataque sunt nitidis lilia mista Rosis:

B

Grati-

Gratior aſt ſalvus mihi nunc in peſtore Sponſus
Luce, ſopore, cibo, veſte, parente, Roſa!
Concedo totum.

M. Ernestus Pirneri,

â
Miltſch. addit. t.

Quam benè conveniunt duo peſtora nomine fida,
Doct̄or FRIEDRICUS, blandula BLANDINULA!
Commendat Sponſum patiens constantia amoris,
Sponſam commendat cum probitate pudor.
Nomen habet pacis Sponſus præclarus amicæ,
Nomen ait Sponſæ nil niſi læticiam.
O FRIDERICE Dæ Paphiæ prædulcis ocellè,
Sit luſus, riſus, Sponſa focusque tuus,
Admetus fac ſis BLANDINÆ, ac Plautius alter,
Illa ſit Alceſtis, Penelopeque tibi,
Inter vos candor ſit mutuus, una voluntas,
Vna fides, unus lectus, & unus amor!
Sit mera proſperitas, ventus flet ſuavis, JOVA
Fœcundet thalamum, ſit mera commoditas!

Sinceri affectûs declarandi cauſâ calidè vov.

M. Samuel Richter/ Pirn. r. r.
Eccl. Tzſchop. Paſtor.

1.
Ad Blandinam optimè moratam & ſatis
dotatam Virginem Sponſam.

Eſt ſua laus aliis. Superat virtutis amore
Te nulla. Et, paucis dicere multa, decus.

2.

Votivum & optimum Gamelion.

Hoſce tVo aVXILIO IVnctos ple Chriſte beabls,
Et tibi honos, ILLis CeDet & InDe ſaLVs!
Vita, ſaLVs, ſoboLes pla paX, aMor Ipſe JehoVa
His Inſint tœDis & Vigeant In eis.

3. No-

3.
**Novum Cōjugium, bono cū Deo, erit pacificum,
& Blandum, secundum omen nominum.**

Ducit Pacis Amans, ut re, sic nomine Blandam,
Blandinam; thalami næ bona biga cluet!
Hos tutos præstet cœlestis gratia Jovæ,
Blanditer ac thalamum blandula pax foveat.
Floreat & vivat, vivat Baldvina propages,
A fatu & hoc vireat Mûlleriana domus.

4.
Ad Pudicissimam & moratissimam Sponsam:

Pietas & Gratia optima dona Puellarum.

Ut Genius Genium, sic dote Puella Puellam,
Vincit: tu cunctas vincere sola potes.
Virginis est Pietas etenim dos prima, secundum,
A Pietate locum Gratia suavis habet.
Te decorat Pietas, Lepor & suffusa labellis
Gratia te decorat, condecoratque Deus.
Dic ubi terrarum jam pulchrior esse Puella,
Te posset? Cunctas vincere sola potes.

5.
**Blanda fove, ad Clarissimū atq; Excellentissimum
Dominum Doctorem Sponsum.**

Omnia Blanda cave: vulgata paræmia suadet,
Ast jubet alma Venus: Blandula cuncta fove.
Vulgus iners dicat quæ vult; Amathusia vincit,
Atque puellarum Blandula quæque fovet.
Tu Neonymphe tuæ Blandinæ & cuncta fovebis,
Quæ mente & toto corpore Blanda micant.
Illa tuis nec erit Blandis contraria Votis,
Blanda & tangenda & conspicienda dabit.
Blanditer & suavem Venus exprimet ipsa liquorem.
Et CITO sic VINVM dulce levamen erit.

6.
Claudite nunc focii cistas, fat lusimus; addo
Ex animo puro vota precesque meas:
Vos regat atque tegat, quæ Vos conjunxit Amantes,
Vos servet, tandem Vos beet alma Trias! Si qua

Si qua forent majora Dei vel in axe polari
Munera, vel si sint hic super orbe soli,
His Vos exornet, Vestram sobolemque futuram,
Pergat & ambos Vos condecorare DEUS!
Vivite par Nuptum, thalami protrudite gemmas,
Ut CITO post VINVM pronuba Juno ferat.
Hæc sunt quæ volui thalami genialis Honori
Scribere. Tu votis annue magne DEUS!

Honoris, amoris & congrat. ergo fac.
Michael Homilius, Augustæ Myfor. Past.

Vi longas ingrata moras objecit ENYO,
Conjugii sacris hora dicata venit.
Hymen io, BALDVINÈ, Hymenæe applaudimus
Et quæ fas Nuptis solvere, vota damus. (omnes,
Custus AMOR sternat thalamum, BENEDICTIO JHOVAE
RE, SOBOLE, atque omni PROSPERITATE bect,
Magnus ut in serie vivat florente Nepotum,
Stirpis & æterna laude perennet AVVS.
Quod cito fit, vetus est verbum, cito disperit: omen
Conjugij contra dat mora tarda bonum.
Nempe per innumeros duret FELICITER annos,
Millecuploque moram fœnore penset Amor!

M. JOACHIM. Meisnerus,
Schol. Torg. R.

Naudabunt alii vestrum nomenque genusque
Præclarum, dotes corporis atque animi:
Aurea dent alii, dent dona argentea SPONSIS;
Dent, varius vitæ quas petit usus, opes:
Ipse ego vota dabo sincero corde profecta;
Vota precesque, Senes, & breve carmen amant.

HoC IgItVr VoVeo: pla Coepta IchoVa seCVnDet;
Ritè DVo IVngat peCtora; CresCat Eros.

Annus, Mensis, dies Nuptiarum.

LVX VbI SepteMbrls bls Dena refVLget In orbe,
En faVstè Sponso Sponsa petIta VenIt.
Adde quod & fasti tædis dant nomina FAUSTÆ;
Ut cedant SPONSIS omnia fâusta, precor.

M. Abrah. Wunschaldus, & Witteberg. olim, & Tor-
gensis Scholæ Patriæ, ConRector Quadragen.



VIR Præclare! tuis tædis quid amicul⁹ optem?
Gaudia mille precor; Coñoda mille precor.
Boni omnis ergò appr.

Georgius Schmidt / J. C. & pr.

Bina Anagrammatica Poëmata.

I.

Fridericus Balduinus,
Dic Fueris Vir Blandus?

Dic mihi, nū Fueris Vir Blandus, Doctor amãde,
Blandinæ, solus cui sine fine places?
Cur Blandina rogas? placeo si solus in imo
Cordis adhuc, placui satque placebo tibi:
Nõnne tibi Vir Blandus ero? Vir Blandus ocellis,
Ore, manu, gestu, réque fidéque tuus.
Imò velut Blandus Sponsus tuus hætenus usque
Ipse fui: Sic pòst Vir bene Blandus ero.
Sic bene convenient Vir Blandus Blandaq, Con-
In thalamo Blando, Blandiloquète DEO! [jux

I I.

Blandina Geböhrene Müllerin.
Nimb an Gnad Lieb' Voller Ehren.

Erklärung.

Alle Welt / O Liebste / außübet
Hier vnd da Lieb' vnd ergiebet
Sich derselben jederzeit
Mit ein grossen Unterscheid!

Manche lieben / nur des wegen /
Daf sie ihrer Wollust pflegen
Vnd sich mit Cupido Pfeil
Exerciren zur Kurtzweil;

Andre lieben stets von Herzen
Ohne Tück vnd falsches scherzen:
Diese Liebe bleibt allzeit /
Voller Ehren vnd Keuschheit!

Eine solche Lieb' aus allen
Hat mir / Liebste / wohlgefallen
Vnd gfeilt mir noch vielmehr /
Wenn ich ewren Namen hör.

Denn darinne zue befinden
Schöne Worte / so verbinden
Mich Euch: Lieb' jedwedre zeit /
Voller Ehren vnd Keuschheit!

Drumb Nimb an / O Liebste / im Herzen
Mit gar trewen Liebes scherzen
Meine Gnad vnd Freundlichkeit /
Wie bis her / so mit der Zeit.

Liebster / was Ihr von mir rühmet
Vnd mit Worten fein beniemet /
Das gefunden wird bey mir /
Wird auch bleiben für vnd für.

Drumb

400

Drumb wil ich mich nur bequemen
Vnd mit aller Lust annehmen
Ewre Gnad vnd Freundlichkeit
Vnd was sonsten bringt die Zeit.

Unser Gott/ der Gott der Liebe
An vns Beyden auch außübe
Seine Liebe/ seine Gnad /
Seinen Segen Rath vnd That!

Verficuli Eteologici :

BLANDINA VIRGO BALDVINO IVNGITVR:
ISTOS NOVOS NVPTOS BEES ROGO DEVS!

Hon. ergo sub Exim. Spons. persona fingendo repræsentata,
dialogo elaborata ac animo sincero oblata.

à M. Gregorio Zenichen.

CUM tibi-Fautores celebrantem Hymenæa
colendi

Te votis animant, FRATER AMANDE, piis;
Cur non adjungam precibus mea vota Bonorum,
Vivida quem meritò promere vota decet?
Vivite felices, vigeat concordia vestrà
Sancta domo, perpes pectora firmet amor!
Ex votis Vobis sint vota, & currite campum,
Connubii & vitæ prosperiore pede!

Ita Fratri suo dilectissimo precatur
animitus

Paulus Balduinus.

Votum.



Votum Nuptiale.

A Rte ac Ingenio præstans, Celeberrime Sponse,
Virtute Excellens, & probitate gravis,
En optata dies, quam, verus, fecit Jöva,
Autor Conjugii fœderis atque sacri,
Quâ læto plausu sacra Connubialia charâ
Cum Sponsâ, peragis concelebrasque tuâ.
Gratulor ergò Tibi meritò, tua cœpta JEOVA
Prosperet, ut Conjux grata placensque fiet.
Conjuge cum charâ sis terque quaterque beatus,
O mihi Vir chari patris amande loco.
Sint procul à vestro, contentio, jurgia, rixæ,
Dissidium, lites, omne malumque, toro.
Vivite Concordes, vigeat Concordia Paxque,
Quò vester nullo tempore cesset amor.
Vivite felices, semper fortuna secundam
Se præstet vobis, faustaque cuncta cadant.
Vivite longævi, vestros DEUS augeat annos,
Augeat & semper pignora chara tori.
HOCCE preCOR VoVeO aC eXopto peCtore
toto,

IHOVA pHis VotIs annVat hIsCe Mels.

Clarifs: Dn. Sponsi

Fam: fidelifs:

Heinricus Beyer! Torg.

F I N I S.

Stadtbibliothek Chemnitz



A 145109 5



SLUB

Wir führen Wissen.



STADT
BIBLIOTHEK
CHEMNITZ



Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.